



Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In Qvo Genuina sententia profundissimi Doctoris de Auxilio gratiæ medicinalis Christi Salvatoris, & de prædestinatione hominum & Angelorum proponitur, ac dilucidè ostenditur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

34. Solvuntur generaliter Scripturae, Patres & Consilia quae requirunt indifferentiam ad utrumlibet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13704

CAPVT XXXIV.

Solvuntur generaliter Scripturæ, Patres, & Concilia quæ
requirunt indifferentiam ad utrumlibet.

Primo igitur obijciuntur Scripturæ
sacræ quæ dicunt, *Dei relinquit hominem
in manu consilij sui, adiecit mandata & præ-
cepta. Si volueris mandata servare, conser-
vabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam: ad quod
volueris porrigis manum tuam. Ante hominem vita
& mors, bonum & malum: quod placuerit dabitur
illi.* Vbi Scriptura satis explicat quid sit esse
in manu consilij, cum dicit hominem si volue-
rit mandata servare, & consequenter non ser-
vare si noluerit. Rursum ex duobus oppositis
vitæ & morte, bono & malo, eligere posse
quod placuerit. Ergo in homine est libertas
& contrarietatis & contradictionis, & non
sola libertas à coactione. Idem convincunt
omnia mandata, quibus aliquid vel jubetur
vel vetatur. Significant enim hominem ad
utrumvis posse flecti, ad bonum ad malum, ad
agendum, ad abstinendum. Quibus consen-
tanea Patres omnes clamant, indicantes passim
hominem posse quæ jubentur facere & non
facere, ut vilum fuerit, & habere ut Nazian-
zenus, τὰ ἐν ἀποστολῇ ἀντιθέσεις κινήματα, in
utramque partem liberi arbitrij motus. Neque
Deum homini necessitatem ut Hilarius in alteru-
trum assignere. Loca plura non est opus operose
proferre. Nam ex hujus unius argumenti
solutione facile patefiet quid de ceteris dicen-
dum sit.

Itaque respondeo argumentum esse verissi-
mum, quod ab ipso Augustino, Damasceno,
Bernardo, & ceteris non solum admittitur,
sed velut Catholicæ fidei immobilis basis ad-
versus Manichæos aliasque pelles veritatis &
libertatis inimicas invictissime defenditur, ac
defendi debet. Verum ad propositum nostrum
nichil facere facile videt, quisquis oculos ha-
beat, quibus apertas veritates videat. Quis
enim nesciat Scripturæ istas ac similes de via-
torum hominum libertate loqui? Illi quip-
pe sunt quibus præcipitur bonum ac vetatur
malum: illi sunt quibus ignis & aqua, vita
& mors apposta sunt, illi sunt qui parem in
utramque partem habent voluntatis motum:
illi denique qui possunt præcepta facere & non
facere, servare vel transgredi. Sed sicut ex istius-
modi Scripturæ testimonijs perperam con-
cluderetur, ergo Deus libero arbitrio caret;
ergo Angeli, ergo beati homines, ergo dæ-
mones libertatis expertes sunt, ergo ipse Chri-
stus Dominus, dum in via ad patriam tende-
ret, libertate caruit; cum neque beati, neque
Christus Dominus præcepta transgredi possit
aut potuerit, nec Deus eligere malum, nec dæ-
mones bonum: ita neque recte concluditur,
actum rationalis voluntatis solius coactionis
expertem, non esse liberum. Inter actum quip-
pe liberum & statum libertatis per magna

A differentia est. Aliter Deus, aliter Angeli
viatores & primus homo, aliter beati, aliter
dæmonati, aliter homines reparandi, aliter Chri-
stus Dominus in via constitutus liber fuit.
Nec ullo pacto quæ in uno statu libertatis ad-
sunt aut etiam requisita sunt, ad alterum ex-
tendenda sunt. Hominum igitur viatorum
non solum coactionis expertem esse liberta-
tem, sed etiam necessitatis immutabilis volun-
tariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferen-
tem esse cum Scripturis. Augustino, & Patri-
bus, & Catholica fide fatemur perlibenter:
sed in illa indifferentia sitam esse generaliter
humani arbitrij libertatem iidem Patres per-
negarent. Neque enim quisquam spero, ita de-
siperit, ut hominem etiam viatorem liberta-
tem amissurum putaret, si liberrima & libera-
trice charitate in humanum liberaretur & fir-
maretur arbitrium, ut quod beatis jam in præ-
mium retributum est, in hac vita constitutus
amplius jam peccare non posset. Ex alio igitur
capite quam ex natura libertatis, oritur indif-
ferentia ad agendum & non agendum, iteniq;
ad bonum & malum. Nam quamvis istud cer-
tissimum in creatura rationali libertatis indi-
cium sit, non tamen libertatis est causa vel ra-
tio. Et propterea adesse vel abesse potest vo-
luntatis arbitrio, sine dispendio libertatis, Deus
quippe (ut prætermittis Angelis tam beatis
quam damnatis, de re notissima duntaxat lo-
quar) juxta Catholicam fidem est liberrimus,
qui tamen nec malum unquam eligere, neque
ab eligendo bono, quod ab æternitate sibi eli-
gendum præfixit, ullâ mutatione desistere po-
test: ne vel imprudens videatur id eligendo,
quod postea propter alias non prævisas ratio-
nes mutandum esse judicaret, vel certe incon-
stans ac levis, sine nova ratione respuendo
quod semel prudenter elegerat. Quid si hoc
ipsum igitur Deus, quod sibi per naturam cõ-
perit, angelicis humanisque voluntatibus per
gratiam tribuere velit, ut propter similem li-
cet impari lucis illustrantis magnitudinem,
non sinantur novas rationes electionis mutan-
dæ cernere, nec propter prudentissimæ volun-
tatis constantiam sine ratione mutare, quod
sibi semel & semper sine ulla cessatione dili-
gendum elegerant? Quis, quaeso, nisi iniquus
rerum apertarum iudex, non eos tanto in illa
electione liberrimos putet, quanto propius ad
illam immobilem firmitatem divinæ liberta-
tis & electionis accesserint? Ut propterea me-
ritò dixerit S. Thomas, quod respectu amare, *1. 2. dist. 25.*
erit in beatis sempiterna & libera electio, atque inde *1. 1. q. 4.*
concluserit in eis esse liberum arbitrium. Qua-
propter liberum arbitrij in omnibus, sive bea-
tis, sive damnatis, sive viatoribus; sive Deo,
sive creatura, uniformem libertatis rationem

Hh

obinet,

obinet, etsi difforem statum. In Deo per naturam constantiam, in beatis per gratiæ beneficium ad bonum semper determinatum est, in damnatis ad malum, cum tamen neutris quicquam de illa libertate, à qua dictum est liberum arbitrium detrahatur. Rursum in Angelis & primo homine viatore indifferentissimum fuit ad bonum & malum; in hominibus lapsis viatoribus teidem indifferentibus, sed longe minus; utpote qui vident aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivam eos in lege peccati. In Christo Domino viatore, nullo pacto ad malum flexi potuit: ita fit ut liberum arbitrium pro naturæ cuiusque, vel ordinis divinitus instituti, vel meritorum diversitate, diversum statum forjariar, in quo ad diversa actionum genera potestas, promptum & expeditum fiat, citra tamen ullam ipsius liberi, seu formalis rationis libertatis varietatem. Eadem quippe ratio libertatis in omnibus istis actionum & cessationum generibus dominatur, sive voluntas ita in alteram partem fixa sit, ut non possit velle nisi vel tantum bonum; vel tantum malum, vel ita indifferentis, ut adhuc in utramque partem flexi queat. Hoc est enim in omnibus liberum quod habent in sua potestate, hoc est, quod fit cum voluntate, sive sit bonum duntaxat, sive malum, sive utrumlibet, sive sit ad agendum, sive ad cessandum, sive ad utrumlibet. Fortitudo enim & amplitudo liberi arbitrii peccatis aut benefactis ita amitti potest, ut quaedam actio-

num & voluntatum genera non possit, quæ ante poterat, aut possit quæ ante non poterat, atque ita ad plures actiones extendatur aut contrahatur: ipsa tamen libertas arbitrii amitti non potest, quamdiu vigente rationis consideratione, vel bene, vel male tantum, vel utrumque facere potest. Quamobrem quando Scripturæ, vel Patres, vel Concilia indifferentiam illam agendi boni & mali, & arbitrii flexibilitatem ad utrumlibet partem urgent, anajudicant, aut provocant, per quam videlicet possimus si volumus bene vel male vivere, velle vel nolle, divinæ inspirationi liberè consentire, eamque abijcere, Deo vocanti consentire vel dissentire, certum liberi arbitrii statum respiciunt, cui hujusmodi flexibilitas propria & semper præsto est, non autem quasi continuo non esset liberum quicquid hujusmodi flexibili in utrumlibet potestate caret. De quibus tamen locutionibus alibi, cum ad concordiam gratiæ & liberi arbitrii ventum fuerit, plura dicturi sumus; quo videlicet pacto hoc ipso verè sunt, quatenus etiam tum cum alterum eorum facit, potest non facere, quantumvis ad alterutrum, sive per gratiam, sive absente gratiâ per concupiscentiâ determinetur. Difficultas quæ moveri posset, quod ista doctrina Patrum Calvinii opinioni concinat, oportunitus etiam reservabitur alteri loco, ubi gratiæ concordia cum libero arbitrio, juxta sancti Augustini principia demonstranda est.

CAPUT XXXV.

Actus voluntatis deliberatæ necessarius, est in potestate & dominio voluntatis.

SED potissimum hic difficultatem facit, quod actus illius voluntatis, qui solâ libertate à coactione liber fuerit, non videamur esse domini, nec eum habere in nostra potestate, quod ad actum liberum omnino necessarium est. Nam ut Augustinus de libera voluntate dicit: *Nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas sita est.* Quo vero pacto intelligi potest, quod nihil actum in nostra potestate habeamus, & ejus domini simus, à quo propter volendi necessitatem abstinere non possumus? Illius quippe Domini videmur duntaxat esse, quod facimus, & non facimus, quando lubet. Accedit quod in hujusmodi actu potius agi quam agere videamur. Hoc autem repugnare libertati arbitrii extra controversiam est. Omnium enim Doctorum judicium est, voluntatem liberam se ipsam agere & movere, & in hoc à brutis pueris, insensatis, agens liberum distinguitur. Prima hujus objectionis pars nonnullis antiquioribus Scholasticis qui illum Augustini locum citaverunt, hallucinandi causa fuit, posterior illis qui magis Aristotelis Philosophiæ dediti sunt.

Itaque ad priorem respondeo, non rationis illius vim, sed imaginationis imbecillitatem

esse causam, ut homines in percipienda voluntariorum actuum libertate fallantur. Nam intuentes omnes actiones hominum quas imperatas dicimus, & magis notæ sunt, nullam eorum omnino liberam esse vident, nisi quam possumus facere & non facere, quando volumus. Simulatque enim actio vel cessatio actionis non sequitur nostram voluntatem, hoc ipso est extra nostram potestatem adeoque libertatè. Omnibus enim à natura indita est illa notio qua liberum dicitur, quod fit cum volumus, non fit cum nolumus: ita ut regula omnis libertatis, quæ in actionibus imperatis quarumcumque facultatum reperitur, sit ipsum velle, cui nisi mox adsit actio cuiuscumque potentia, vel cessatio actionis, mox etiam actio illa vel non actio, castillos libertatis egreditur. Quod in petulcis illis imaginationis, concupiscentiæ, genitalium motibus, in intellectus nutibus, quibus clarè assentit veritati, & quibuscumque sensuum, vegetativæ facultatis, adeoque externis actionibus, vel cessationibus apertissimum est hoc ipso namque quod nobis volentibus non sequuntur, vel nobis nolentibus proliunt, extra potestatem nostram sunt, & ideo quoque extra libertatem. Ex quo fit ut etiam Tullius, solo naturalis Philosophiæ lumine

Est. 3. de lib. arbit. c. 3. & 1. Retract. cap. 9.

Phil. 13. 2. de gra Christi, lib. 1. cap. 4. & 14.

Phil. 13. 2. de gra Christi, lib. 1. cap. 4. & 14.